

*Vocatum est Babel
quia ibi confusum est labium universæ terræ.*

Léctio libri Génesis

11, 1-9

- ¹ **E**rat univérſa terra lábii uníus
et sermónum eorúndem.
- ² Cumque proficisceréntur de oriénte,
invenérunt campum in terra Sénnaar
et habitavérunt in eo.
- ³ Dixítque alter ad próximum suum:
«Veníte, faciámus láteres et coquámus eos igni».
Habuerúntque láteres pro saxis
et bitúmen pro cæménto.
- ⁴ Et dixérunt:
«Veníte, faciámus nobis civitátem et turrim,
cuius culmen pertíngat ad cælum,
et faciámus nobis nomen,
ne dividámur super fáciem univérſæ terræ».
- ⁵ Descéndit autem Dóminus,
ut vidéret civitátem
et turrim, quam ædificavérunt filii hóminum,
⁶ et dixit Dóminus:
«Ecce unus est pópulus
et unum lábium ómnibus;
et hoc est inítium operatiónis eórum,
nec eis erit deinceps difícilé,
quidquid cogitáverint fácere.
- ⁷ Veníte ígitur,
descendámus et confundámus ibi linguam eórum,
ut non intéllegat unusquísque vocem próximi sui».
- ⁸ Atque ita divisit eos Dóminus ex illo loco
super fáciem univérſæ terræ,
et cessavérunt ædificáre civitátem.
- ⁹ Et idcírco vocátum est nomen eius Babel,

quia ibi confúsum est lábium univérsæ terræ,
et inde dispérsit eos Dóminus
super fáciem univérsæ terræ.

Verbum Dómini.